



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

IV. Beatam dicit Antiquior Synagoga Judæorum. Quia ejus magnas
excellencias agnovit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Reliquos Patriarcharum ac Prophetarum breviter complectimur cum *S. Ephrem init. de laud. B.V.* ubi hoc elogio S. Virginem exornat. Spes unica Patrum, Gloria Prophetarum, Lætitia Sanctorum, & Lumen probatissimorum, Abraham, Isaac, & Jacob, Decus Aaron, Splendor Moysis, & Vellus Gedeonis, Coetus Hierarchiarum, omniumque Sanctorum ac Virginum Corona, ob immensum fulgorem ac splendorem inaccessa. Quod extendit ad detentos in limbo *Rubilius Episcopus Recanatenfis in Magnificat lib. 2. cap. 22. dub. 7.* Qui erant in limbo ad Mariam ut eorum Liberatricem & Advocatam suspirabant. Quia ut docuit *S. Bernardinus tom. 1. serm. 61. cap. 2.* Omnes liberationes & indulgentias factas in veteri testamento non ambigo Deum fecisse solum propter hujus benedictæ Puellæ reverentiam & amorem, quibus eam Deus in sua prædestinatione præhonorandam cunctis operibus suis ab æterno ordinavit.

Sed jam Viris illustribus Veteris testamenti missis Sanctas illas Heroinas producamus. De Eva quod Mariæ fuerit typus loquuntur passim *Sacri Scriptores*. De Sara idem asserit *Hieron. in Matth.* De Rebecca juxta ejusdem interpretationem in nomine hebr. Nomen ipsum testabitur, quod vel significat *Ovem*, & sic optime Virginem depingit, quæ agnum genuit, vel significat *Videntem principia*: certè Virgo Sacra vidit singulari modo Principium per quod facta sunt omnia, vel idem dicit quod *Sceleris visum*, vidit & illa summum scelus Judæorum dum cruci Filium affigerent, vel *Arcana Numinis ineuntem*, quis magis intuitus quam ea, in quam Spiritus S. supervenit, qui solitus Prophetas sermone arcanorum implere?

Cum Maria Sorore Moysis confert *S. Ambrosius exhort. ad Virg.* nostram Virginem, dum ait. Terrâ ac mari clausum Hebræorum populum Virgo per maria peccata duxit. In Evangelio Authorem mundi & Redemptorem Virgo generavit. Quid Juditham, Estherem commemorem? Quid alia minora nominem?

4. Beatam dicit Antiquior Synagoga Judæorum, Quia ejus magnas excellentias agnovit.

Synagogæ nomine, hæc potissimum Rabbinos, antiquioris verò, eos qui circa tempora Christi nati floruerunt, accipimus. Omitto nihilominus illud quod narrat *Egesippus libr. supplementi. Evang. verit.* de Simeone illo qui Christum in ulnis accepit, de quo hæc habet. Cū esset Rabbi & in Synagoga interpretaretur *Isaia 39. Ecce Virgo* (Hebraicè, Halma) *conspicit*, delevit H. ut esset sensus. Ecce Juvenula quæ vox indifferens ad Virginem & Juvenem nuptam. Sed Divinitus litera restituta. Idem fecit secundò, & tertio, sed litera secundò & tertio redijt; ideo ad orationem recurrit, & in ea responsum Spiritus S. accepit: Eum non vitam mortem,

mortem, nisi conspecto Christo Domini. Pulchrum testimonium pro S. Matris Virginitate, nisi *Caspar Sanctius comment. in Isaiam* illud vanum probaret. Ad Rabbinum quem Hebræi magistrum suum seu Rabbenu, & Haccados, seu Sanctum appellant venio, qui tempore Antonini Consulis ante Christum natum vixit. Hic sentit propter Virginem Sanctam mundum conditum, ita enim apud *Galatinum de arcanis lib. 7. cap. 2. loquitur in Galerecia 1. ad sextam Antonini Consulis questionem.* Videns Deus ex Israel excindendam esse petram sine manibus & hæc est Petra primaria ex qua Messias futurus est, qui misericordias suas extendet super orbem totum, huius Petræ dilectione, & Messie Filij David Regis eorum creavit Deus hunc mundum. Quod verò nomine Petræ intelligat S. Virginem, paulò post patebit. Est in maxima veneratione apud Hebræos *Rabbinus*, quem appellant Haboclesh id est Sanctum. Idem cum Trinitatem indicari professus *Gen. 1. v. 1.* & Domini Jesu 38. etiam SSmæ Mariæ nomen ex *Isai: 9.* elicit, nam locus dictus *Geneleos* sic habet. *וְיָבֹא מִבְּרֵיתֵינוּ*. Hoc est, *Bara elobim.* Deus creavit, per literam *ב* prioris vocis vult Patrem innui, nam Pater *heb ב* id est per alteram, id est per *ב* Filium, qui dicitur *heb ב* ben. per tertiam *ו* Spiritum qui *heb ו* Ruach. JESU verò nomen sic extrahit ex *49. Gen. 10.* ubi sic habetur *וְיָבֹא מִבְּרֵיתֵינוּ*. Id est *iabo scilo velo gbumim.* Venerit scilo ad eum gentes ex his quatuor vocibus decerpit, quatuor initiales literas, ex primo *jod*, ex secundo *ש* *shin*, s. ex tertio *ו* *vau*, v. ex quarto *א* *ain*, *avb.* quibus simul junctis resultat *וְיָבֹא מִבְּרֵיתֵינוּ* *Jesuab.* id est *Jesus.* Jam tandem nomen Maria ex *Isai: 9. 7.* sic deducit.

וְיָבֹא מִבְּרֵיתֵינוּ. Hoc est *Lamistra learbes*, amplificabitur Regnum. Ex hoc duo prædictus *Rabbinus* infert. Primò Virginitatem illibatam Mariæ, quia in priori voce scilicet à dextris procedendo, 2da litera id est *Mem*, quæ solet semper poni in medio vocis aperta, hic ponitur clausa. Præterea nomen Virginis extrahit prima litera *m.* *Mem*, clausa, secunda *R.* *Resch*, tertia conflatur ex duabus *He* quarum una claudit primum vocabulum, altera sequens inchoat. *unde vult a.* vigere, seu *jodi*. 4ta litera *m.* *Mem* ultima vocabuli aperta & componitur nomen *וְיָבֹא מִבְּרֵיתֵינוּ* *Miriam* hoc est *Mariam*.

Agnovit & maximam quandam excellentiam, nam cum ab eo ibid. *Antonin. Const. ex Psal. 81. Hebr. lect.* Abacum quam plantavit dextera tua, petijt explicari, respondit ibid. *cap. 4. apud Gal.* Similis facta est Abaco Mater Dei, quandoquidem sicut Abacus est armarium quod Principes conficiunt ad collocanda vascula auri & argenti, ut gloriam suam atque opes omnibus ostendant; ita Mater Regis Messie erit armarium, quod Deus construxit, ut in eo sedeat ipse Messias ad ostendendam gloriam suæ Majestatis cunctis mortalibus, per id autem quod ait plantatum, ostendit eam esse primam creaturam Dei, (id est dignissimam) in genere humano.

Agnovit verò Immaculatam Conceptionem Rabbi simeon ibidem, cetera summa verborum hæc est. Cum peccatores in die ultimi Iudicij ad diversos confugient Sanctos, ut pro eis orent, omnes se excusabunt, eò quòd & ipsi aliquam maculam receperint. Tandem peccatores recurrent ad primum hominem (id est dignissimum) immaculatum de quo dicitur. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Primum autem hominem hic Rabbi vocat Matrem Melsia. Rabbi Haccados asseruit propter illam Israellem appellatum populum Dei. *Ibid. cap. 11. ad sextum petrum Antonini Consulis, ubi hæc sunt verba hujus Rabbini.* Dicam tibi quod scriptum reperi à Rabbi Simeone Filio Joada, Videns Deus ex Israel excindèdum esse petram sine manibus, quæ est Petra primaria ex qua Melsias futurus est, qui extendet misericordias suas super univèrsum orbem, propterea voluit vocari Israel Patrem univèrsi orbis ac populum suum peculiarem. Quæ verba Rabbi Nebonia Filius Haccane in *epist. arcan.* exponens, sic ait. Hæc Petra primaria est Mater Melsia. Idem docet Rabbi Jonathas uxialis Filius in *zech. 4.* Ibi est juxta lect. Hebr. Et educet petram primariam quæ ita exponitur. Et ex ipsa Petra procedet Melsias Virginitatis Nomen. Dum oraret in spelunca Rabbi Haccados, se ab Elia divinitus missum dicit accepisse. Et ad *quest. Antonin. Conf.* sic habet. Quod autem interrogasti, quo nomine Prophetissa vocetur, Maria est Nomen ejus. Hujus Prophetissæ mentem ac cogitationem omnem esse, ut Virginitatem suam conservet, erit enim Virgo mente & actu.

Agnovit idem R. Haccados, quòd Virgo nostra esset Prophetissa, nam cum eo quævisset Antonin. Consul, quid sibi vellet Isai: 8. Et accessit ad Prophetissam etc. sic illi respondit. Sæpe numero in hac quæstione suspensus, & anxius fui, & de quadam ingressus Patrum speluncam, ubi sepulti sunt Adam & Eva, Isaac & Rebecca, & Jacob, & Lia ut ibi orarem, inveni Eliam quem percunctatus sum. Quare notum tibi facio quòd ab ipso accepi. Hæc Prophetissa est Mater Regis Melsia, quem Deus Sanctus & Benedictus se missurum ad Israel pollicitus. Ideo autem Prophetissa, quia tuo vaticinio scit omnia à primordio ad finem usque, quod nemo Prophetarum cognoscere potuit, ipsa enim est omnium Prophetarum Domina & Magistra, & hæc est Halma illa, de qua dixit Salomon *Prov. 30.* Et via viri in Halma, id est via Dei in Virgine. De qua & Mich: cap. 5. *Et tu Bethleem Ephrata parvula es.* Et post pauca. *Propter hoc dabit eos usque ad tempus, quo parturiens pariet.* Præterea de Rege Melsia etiam quem Prophetissa ista paritura est, dixit Isaias 9. *Infans natus est nobis, Filius datus est nobis, & erit Principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater sempiternus, Princeps, Pax.* Hæc ille longe ante quàm Prophetissa nata esset. Ita apud *Galat. loc. cit. cap. 17.*

Sed ut Iudæos simul expediamus, apponemus hic de quo *Canisius lib. 2. de B.V. cap. 7.* Et ait contigisse circa annum Christi 1220. Honorio III. Pontifice & Friderico 2. Imper: Ferdinando Rege Castella apud Toletum, quod licet nesciat cuius sit Authoris, venit tamen in manus Iudæi, qui vineam dilatando rupem perfregit, in cuius medio librum invenit, Græcâ, Latinâ, atque Hebræâ scriptum linguâ, qui de triplici mundo ab Adamo procedente ad Christum differebat, & de initio tertij mundi hoc habebat. In tertio mundo Filius Dei nascetur ex Virgine Maria, patieturque pro hominum salute.

Speciale quoddam *Ernestus Archiep. Pragensis* advertit, quod scilicet DEUS adhuc in veteri lege Virginis natalem mandaverit observari, sed rem totam verbis ejus proponamus. Ita ille *cap. 6. Mariæ*: Maria dicitur nova Luna, id est mirabilis, dissimilis & multum dispar & distans ab ista, quam videmus, in claritate, in stabilitate, in quantitate, in sublimitate. Buccinate in Næomenia tuba, dicit Dominus, id est in novilunio. Nunquid Mathematicus est Dominus, ut jubeat adorare solem, aut lunam, aut stellas? absit. Sed qui digito suo scripsit in tabula: Honora Matrem tuam, fecit quod docuit, & qui dedit, & quando dedit legem hanc honoravit Matrem, præcipiens ut singulis mensibus fieret festum suæ venturæ Nativitatis, maxime in næomenia mensis Septembris, significans illo mense illam fore nascituram. Si ergo Iudæi rebelles & increduli, etiam adhuc toties in anno Nativitatem Dominæ nostræ devotissimè celebrant, licet quid faciant igno- rantes, manifestè patet quomodo ipse Legislator velit, quod nos qui eam accipi- mus in Matrem & Dominam, non verbo & linguâ, sed corde & animo, & toto af- fectu mentis Christo canamus gloriam in solennitate excelssæ Genitricis, & ideo tubis corneis in næomenia buccinari præcepit.

5. Apostoli & Evangelistæ Beatam dicunt, quia facta est illis
Magistra & Exemplar prædicandi.

Testis hujus rei *Eusebius Emis. hom. de Purif.* Nisi ipsa verba Filij conservasset, non ea haberemus, de ejus namque thesauris nos ista accepimus, quæ enim de Christi pueritia leguntur, à SS. Virgine accepta leguntur, quæ non modò verba ista, sed & Pastorum, Magorum, Simeonis & Annæ condidisse in corde dicitur; mirum quæ aliquando revelaret. *Et serm. 2. de Nativitate Dom.* hanc acclamationem facit ad Virginem. O Mater Sapientissima, ô sola talis Filij dignissima! quæ omnia verba hæc ideo in corde suo conferebat, nobisq; conservabat, & memoriz commendabat, ut postea ipsa docente, ipsa narrante, & nunciante scriberetur, cunctisque nationibus nuntiarentur. Ut enim *6. revel. 58. tradit S. Brigitta.*
Christus